

M O R E A.

plexus est Ovidius lib. 6 Metamorph. ubi procerum mentionem facit, qui ad consolandum Pelopem missi fuerunt, cuius soror Niobe cum omnibus liberis fuerat extincta; ubi sic canit:

*Finitimi Proceres coeunt, urbesque propinqua
Oravere suos ire ad solatia Reges:
Argosque & Sparta, Pelopeiadesque Mycena,
Et nondum torva Calydon invisa Diana.
Orchomenosque ferax, & nobilis are Corinthus,
Messenaque ferox, Patraque, humilesque Cleona,
Et Melea Pylos, nec adhuc Pytheia Trezen,
Quæque urbes alia bimari clauduntur ab Isthmo.*

Flumina.

Amnes celebriores sunt *Asopus*, nunc *Arbon* Theveto; *Penejus*, nunc Nigro, & Theveto Igliaco: *Alpheus*, qui adcolis *Rophea* dicitur, ut Sophiano placet, & secundum Nigrum *Orphea*: Italis vero nautis *Carbon*: atque huic fluvio 140 amnes inlabuntur: & albas maculas ac impetiginem fanat. *Panifus*, *Stromio* nunc Nigro, sed *Pimaza* in tabulis Castaldi & Mercatoris, totius Peloponnesi fluvius maximus. Hujus aquæ puerorum & infantium morbis mederi dicuntur. *Eurotas* hodie *Basilopotamo* Sophiano & aliis, sed *Iris* Nigro: cuius ripæ lauro abundant; & *Inachus*, qui *Pla-*

nizza hodie est Sophiano & aliis. Conspiciuntur montes admodum celebres, inter quos primam phalangem ducit *Stymphalus* Στύμφαλος, mons Arcadiæ altissimus, qui Dominico Nigro *Poglici* dicitur. *Pholoe* Φολών, *Xeria* Nigro. *Cyllenius* *Melæ*, *Cylene* Straboni, totius Arcadiæ altissimus, *Mænalus*, *Mænalius* *Mele* *Cronium* Κρόνιον Ptolemæo, *Grevenos* Nig. *Zarex*, *Gemistus* *Zaraca* Ζάρακα vocat. *Mintbe*, Μίνθη Ptolemæo & Straboni. *Gemistus* hoc loco apud Ptolemæum, Μινών legit: & eum quoque *Scorton* σκέρτων vocat, *Olon* vocatur Nigro: *Euan* videtur apud Pausaniam dici, ab *Euoe* Bacchantium voce: quod hoc loco Bacchus, & quæ eum sequebantur mulieres, sic exclamasse credebantur. *Taygetus* Ταύγετος Plinio, Pausaniæ, Vibio & Stephano. Peloponnesis mons in *Laconica*, *Euræ* flumini vicinus. In hujus summitate existentibus prospectus patet per omnem peninsulam, ut nulla celebris visum effugiat civitas. Hic mons varias feras nutrit, consecratus *Baccho*, *Apollini*, *Dianæ*, *Cereri*. *Archiepiscopi* numeravit olim *Morea* Corinthiensem, sub quo *Archivenfis*; *Patracensem*, sub quo *Coloniensis*; *Mothonensem*, sub quo *Coronensis*, *Amyclensis*, *Androvillensis*.

